F. HECTORIS PINTI LVSITANI

ORDINIS D. HIERONYMI

in Esaiam Prophetam Commentaria.

Omnia iudicio & correctioni sanctæ Romanæ & vniuersalis Ecclesiæ subiecta sunto.

Librería de Moreñuela esta duplicado =

ANTVERPIAE,

In ædibus Petri Belleri sub scuto Burgundiæ.

M. D. LXXXIII.

Cum Gratia & Priuilegio.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

DOMINO HENRICO PRINCIPI ILLVSTRISSIMO, INVICTISSIMI

Regis Emanuelis filio, Cardinali & Archiepiscopo amplissimo, hæreticæ prauitatis supremo in Lusitania Inquisitori integerrimo, Frater Hector Pintus Lusitanus salutem & æternam fœlicitatem.

Cogitanti mihi sæpenumero clarissime Princeps, & varia hominũ studia in memoria versanti, illi felices maximeq. laudabiles videtur, qui omnes suas actiones in Deũ referunt, totosque sese in optimæ vitæ statu exquirendo & consequendo collocarunt. Intelligentes enim mundi gloriam, potentiã, & opes, ad quas plerique mortales auiditate inflammati aspirant, non esse in rebus expetendis & præclaris numerandas, quippe cũ eas caducas & incertas aspiciant, virtutem amplectuntur, quæ altissimis defixa radicibus, neque potest incendio amitti, neque direptioni committi, neq. vlla temporũ varietate labefactari. Inter omnes qui hunc felicẽ vitæ cursum cõficiunt, tu vnus emines Princeps Christianissime, qui in insigni dignitate constitutus, rerumq. maximarum gloria præstantissimus virtutem mirabiliter sectaris. Omni enim humana superbia & arrogãtia contempta, ad cælestia aspiras, & non solũ tuos Lusitanos, sed alias etiam nationes, ad quas fama tua, nominisq. celebritas & splendor euolauit, vsque adeo tua vita & exemplo instruis & deuincis, vt admirabilis illis quædã amoris in te & obseruantiæ exardescat magnitudo. Est enim virtutis propriũ homines allicere ad diligendũ, cũ ob illius amplitudinẽ eos etiam, quos nunquam vidimus, diligamus, eorumq. memoriã cum benevolentia & veneratione vsurpemus. Est igitur ea vita fœlix & expetenda, quæ non in falsa mundi gloria nititur, sed in virtute diuiniq. numinis imitatione consistit, ex qua verus honor minimè contemnẽdus

Prophetia Esaiæ.

Argumentum primi capitis.

Explicat diuinus Vates genus operis, nomẽ authoris, materiam, & tempus. Inducit Deum loquentem, & Iudæorum scelera, eorumque sacrificia execrantem. Inuitat peccatores ad pœnitentiam. Aperit mysterium redemptionis humanæ per Christum seruatorem nostrum. Deplorat Hierosolymę flagitia & miserias. Inuehitur in eius Principes & magnates, qui cum tanquam parentes boni, & tutores fideles esse deberent, eam opibus spoliabant, eiusque dignitatis patrimonium diripiebant. Tandem prædicit Iudæos infideles suorum impiorum facinorum esse pœnas graues iustasque persoluturos.

CAPVT PRIMVM.

ISIO Esaiæ filii Amos, quam vidit super Iudam & Ierusalem in diebus Oziæ, Ioatham, Achaz, & Ezechiæ regum Iuda. Audite cæli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est. Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui, Israël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam filiis sceleratis: dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt sanctum Israël, abalienati sunt retrorsum. Super quo percutiam vos vltra addentes prænaricationem? Omne caput languidum, & omne cor mœrens. A planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas. Vulnus, & liuor, & plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.

EXPLANATIO.

Visio Esaiæ.] Inter omnes sensus nullus est qui certiorem & euidentiorem cognitionem obtineat, quàm visus. Illud enim certum nobis & perspicuum esse absque dubio asserimus, quod oculis aspicimus. Eam ob caussam dicebat regina